


O blati tibi sacrifici
nos semp & immia
Q onua domine m
martyri bonore de
tractamus: quibus n
fidium crecat & ga
Retiano de apst m
Completo. **O** or
preciosi sanguinis r
mine guesumit do
noher: ut quod pia
gerim: certa redem
pianus. **p. Alia cor**
quimus omnipot
quozu memoriam
participatione reco
quod proficendo
Stiepani pape et
ficus. **Incus** ut pal
Eus qui not
martyri m
annua solentate let
cede ppius: ut a
colim: de eius cha

de apostolis. Collecta.
Thunc facio. **per totum Kyrieleiso.**
Ad vincula sancti petri offic.
iusta desideria compleantur. **p.**
scerit & vicia nostra purgent: &
bunt domine operatione my
desunt in eterna. **Lob. Per**
ricordie dona cocillet. **p. Com.**
latis ad soluat: & tue nobis mite
ramus: & vincula nostre prau
rum natalicia recemtes offe
domine quam sanctorum tuo
dant. **Sec. In** offa hec glum
persequitur. **Abi** abilis
descendens iclus. **Mel. Lum**
Alleluia. **X.** **In** hunc aut. **Euanget.**
fol. **dr. Bzad.** **B** loziolus deus.
Epla. **Bzatus** agere debcm?
fiabus hberat. **Per** domini
ab omnibus merentur aduer
tuozu mercedentib? meritis:
veniam peccatoz: ut sanctoru
comitib: da famulus tuis suozu
ventendi copiosum mun? **Gre**
Crisostomus



Fragment of a manuscript page with a large, mostly blank parchment area. The parchment is aged and shows signs of wear, including a tear on the left edge and some foxing. At the bottom, there is a line of text in Gothic script, with the first word in red. The text reads: **D**eus qui scis tuis abdon **Evangelium**. There are two handwritten annotations in the right margin: "Ab. 9." written in black ink, and "Ab. 9." written in red ink. A small, triangular fragment of another page is visible on the right side, containing the word "Capitulum" in red ink.





DE
ASTRONOMIA;
DISCIPLINA INTER MA-
THEMATICAS PRINCIPE;

Oratio prima:

In qua

Præstantia, iucunditas, vsusque multiplex
Artis nobilissimæ demonstratur;

Post finitam interpretationem doctrinæ de Sphæra
conscriptæ à

IOANNE DE SACROBOSCO;

Sub initium

Explicationis Theoricæ doctrinæ

GEORGII PURBACHII

Ad Auditores Mathematicum publ. habita

à

CHRISTOPHORO MEVRERO D.
MATHEMATVM PROFESSORE,
& Reip. Lipsiensis Physico.

Lipsiæ,

IMPRIMEBAT MICHAEL
LANTZENBERGER.

Anno 1596.

26

69

26.





CLARISSIMO CONSULTISSI-
MOQUE VIRO, DOMINO
ANDREÆ GOLDBECCIO
I. V. D. ET SCABINATVS ELE-
ctoralis Lipsens. Assessori digniss.
affini & amico suo honorando.



*Q*uemadmodum in agro colen-
do non tantum requiritur seminum
copia generosorum, aruiq; natua qua-
dam bonitas ad fruges concipiendas;
Sed agricola etiam peritia talis, qua
omnem rectè serendi modum intelligat
temporum etiam tempestatumq; cun-
ctas differentias accuratè notet atq; obseruet: Ita sanè ad
docendum nequaquam praeceptoris quantumuis eruditissimi
scientia sufficit, discipuliq; ingenium scientia capax & doci-
le; sed modum omnino etiam ad eam rem accedere oportet,
ut unumquodq; suo loco & tempore methodo ac ordine con-
uenienti discipulis proponatur. Hinc ego cum in docenda
Astronomica disciplina complures iam annos versatus ipsa
re deprehenderim, non tam alia impedimenta vlla, quam
modi ignorantiam in addiscenda arte utilissima multos bo-
nos adolescentes retardare: duxi equidem mearum omnino
esse partium providere, ut non tantum boni authores disci-
plinae Mathematicae summa fidelitate & perspicuitate propo-
nerentur discipulis: Verumetiam ut is modus eaq; discendi
ratio ipsis indicaretur, qua aliquam utilitatem fructumq;
uberrimum ex nobilissima arte auferre possint. Atq; eo

E P I S T O L A

consilio ac intentione hoc anno, quo denuo finita Spherica doctrina ad utilissimam iucundissimamq; Secundorum mobilium explicationem, Theoricarum appellatione notam, & à priscis illis, ad saluanda varia stellarum erraticarum phenomena solerti iudicio excogitatam accessimus, loco τῶν ἀεὶ λεγομένων una atq; altera hora Utilitatem, quam in communi hominum vita astrorum disciplina habet præmisimus, unaq; demonstraui, ex quibus potissimum authoribus vera eius cognitio petenda sit, ac quo ea ordine inter nobilissimas Mathematicas disciplinas discenda, ut ita usu doctrina huiusq; vero ordine perspecto imperiti adolescentes cum maiori & delectatione & studiorum suorum emolumento deinceps ad hanc doctrina partem præstantissimam inuitarentur. Cum a. quidam intellexerint hanc meam commonefactionem ex optimo candidoq; animo profectam sibi suisq; studijs non parum profuturam esse, statim à me petierunt copiã ipsi ut facerem describendi illa, quæ à me nuda ac simplici recitatione prolata retineri memoria nequissent. Verum cum ea ipsa magna ex parte obiter saltem & memoriter pronunciata essent, ac dispositio præcipuorum duntaxat argumentorum schedis quibusdam hinc inde consignata; denuo de hac utilissima commonefactione cogitare cepi, illamq; quantum per meam tenuitatem & otij literarij inopiam licuit, de nouo quasi adumbravi, & maioris quidem perspicuitatis gratia in duas distinctas Orationes digessi; quas nunc in gratiam discipulorum præcipuè auditorum meorum prælo commissas emitto. Ex ijs autem prior illa quæ præstantiam iucunditatem usumq; multiplicem artis nobilissimæ demonstrat tuum adscriptum habet nomen Vir clariss. amice & affinis colende, non saltem eo nomine, ut amicitia

nostra

D E D I C A T O R I A .

nostræ & perpetuæ erga te obseruantia meæ argumentum hoc esset, sed imprimis, ut pro beneficiorum multitudine grati animi significationem tibi tuisq; hac qualicunq; testificatione publica ostenderem. In quo ipso ut studium meum ex optimo & candido animo profectum gratum habeas, te per nostram amicitiam & tuam humanitatem obnixè rogo. Vale Lipsiæ An. 96. 6. Idus April. Quo Author noster Georgius Purbachius, in cuius explicatione iam publicè versamur, ætatis suæ Climacterico sexto nondum completo immatura morte non sine summo Mathematicarum disciplinarum detrimento Viennæ ex hac mortali vita ante annos centum & triginta quatuor discessit, relicto hoc à seipso facto Epitaphio: quod in Ecclesia Cathedrali his legitur verbis.

Extinctum dulces quid nam me fletis amici?
 Fata vocant, Lachesis sic sua fila trahit.
 Destituit terras animus, cælumq; reuisit:
 Quæ semper coluit: liber ut astra colat.

Christophorus Meurerus D.

A 3

I N



IN

Astronomiæ, scientiæ nobiliss.
laudes;

AD CL. V. DN. CHRISTOPH.
MEVRERVM D. &c.

EPIGRAMMA.

REGIA qua fertur, MEVRERE, scientia vulgò
Culta quidem priscis REGIBVS illa fuit:
Ast hodie neq, REGVM operâ, neq, nititur arc
REGVM; sic Arti nomen inane manet.

Hi, quorum ingenio fulciur diu Mathesis;

Hi REGES hodie REGVM obièrè vices.

Nauiiter his dum iungis opem, MEVRERE; quid? istoc;
Quid ni addam? clausa est REGIA mens animo.

M. Ioan. Friderich. Vu. Oratoriæ Pro-
fessor, & Academiae nunc temp. Re-
ctor, inter occupationes properè.

Oratio

Oratio
DE ASTRONOMIÆ PRÆ-
STANTIA, IVCVNDITATE, AC
VSVMVLTIPlici.



Rdinis ratio discentiumque
utilitas, auditores optimi, postulat,
vt finita, hoc anno præterito,
Sphærica explicatione, quæ primam
Astronomiæ partem constituit, cœ-
liq; vltimi, seu primi mobilis natu-
ram essentiamq; nobis aperit, se-
cundorum quoq; mobilium doctrinam, vtpote alteram
Astronomiæ partem Theoricarum appellatione notam,
vobis simili modo explicemus. Et sane rem eam absq;
mora aggrediemur, diligentia deinceps qualicunque
nostra, ea industria diuinitus adiuta perficiendam: Ni-
si vestri causa (quibus omne studium meum inferuire
debet) necessario quædam mihi dicendo cōmemoran-
da prius essent. Cum enim Auditores mirari sæpè soleã,
& cogitare, qui fiat, vt in tanta huius seculi felicitate,
qua omnium disciplinarum fontes sunt reclusi & aperti,
pauci tamen reperiantur, qui nobilissimo vtilissimo-
que Astronomiæ studio sese dedant, & laborem atque
operam aliquam in eam rem impendant: Duas potissi-
mum, re benè deliberata causas inuenio, quibus non tan-
tum ignaui, sed multa etiam præclara ingenia ab hoc
saluberrimo fructuosissimoque studio retrahuntur ab-
ducun-

O R A T I O P R I M A

Duo im-
pedimen-
ta discen-
tium.

ducunturq; Vnam esse existimo, quod plurimi sibi falso persuadeant, se nihil aut parum emolumenti ex hoc studiorum genere auferre posse: Alteram vero, quod multos deterreat authorum & scribentium multitudo, ac copia planè infinita. illâ enim non raro perterriti adolescentes, præ inopia consilij pulcherrima rerum Astro-nomicarum possessione non perfruuntur. His illud etiam accedit incommodum, quod nullum Ordinem in discendo plerique sibi proponunt. dum enim consilij inopes, per omnia doctrinarum genera, veluti in amplif-
simo rerum amænissimarum campo hinc inde vagantur, in ea copia authorum plerumque inanes domum rede-
unt, & ita studiorum suorum curriculum feliciter & cum fructu neque instituunt, neque institutum aliquando consumunt. Hæc a. commemorata incommoda, cum vehementer sint noxia atq; exitiosa iuuentuti: Rei-
publ. siquidem interest plurimum, adolescentiam re-
ctis opinionibus imbui, & honestis ac necessarijs arti-
bus ad omnem humanitatem & ciuilis vitæ officia edu-
cari ac instrui: Nostrarum vtique partium est efficere
vt non tantum sinisterrima de Arte nobilissima opinio
ex discantium animis eximatur, sed etiam remoueantur
omnia impedimenta, quæ vel languefacere, vel auerte-
re eorum animos à cognitione rei tam præclaræ & ma-
ximè omnium necessariæ solent. Constituimus itaq;
sub hoc annuæ professionis nostræ initium oblata præ-
sertim occasione optatissima, pro nostro perpetuo amo-
re, & beneuolentia erga optimarum artium discipulos,
proque officio, fidei nostræ iam ante annos duodecim
in hac Celeberrima Academia Illust. Principis authori-

tate com-

tate commisso, id dicendo imprimis perficere, ut imperita iuuentus iudicij imbecillitate & inopia seducta in viam deinceps redat; abiecta persuasione vanissima maximeq; detrimentosa, qua cum maximo studiorum suorum incommodo haecenus nobilissimam vtilissimamq; de Astris disciplinam, vel planè abiecit, vel paulò negligentius certè coluit. Atque ut certis quasi limitibus nostra circumscripta oratio sit, ostendemus in progressu Astronomiam non modo non inutilem esse artem, sed etiam ita nobilem, omni tempore à diuersis gentibus excultam, & omnino salutarem secundum partes singulares, ut nullo modo ea carere hæc mortalis vita nostra possit. Monstrabimus præterea ex quibus potissimum Authoribus in tanta copia & multitudine eadem sit petenda, ut quæ ratio in discenda hac arte vobis tenenda sit, eadem opera cognoscatis. Non autem ijs verborum & sententiarum luminibus vtemur, quibus digna res tanta est, sed communi quadam & simplici orationis forma id efficiemus, ita dilucide tamen & aperte, sicuti speramus, ut rem proposituri omnes facile queant perspicere, quid hac de re sentiendum statuendumque sit; Modo quod vestræ erit humanitatis, benevolentiae & candoris, aures & animos attentos ad breue tempus mihi præbeatis.

Duo potissimum esse video Auditores, quæ nobis ingenuam & liberalem aliquam artem, disciplinamque humaniorem commendare solent; Antiquitatem nimirum & vtilitatem, quarum hæc maximam eius in communi hominum vita necessitatem, illa vero dignitatem & præstantiam ostendit. Summus Aristoteles in libris

Argumen
cum Ora
tionis.

B

illis

illis planè aureis de Anima inscriptis, certitudinem præterea addit, vna cum nobilitate quæ à subiecti dignitate sumitur. Siue autem antiquitatem perpendamus & consideremus, siue nobilitatem subiectæ rei, in qua pertractanda industriam viresque suas exercet Astronomus, siue vtilitatem, quam ars ista in communi hominum vita habet, nec non certitudinem, qua illa cæteras disciplinas antecellit, nullam profecto inter omnes liberales & ingenuas artes inueniemus, quæ cum Astrorum scientia conferri, ne dicam illi anteponi fortè possit.

Antiquitas.

Ad Antiquitatem enim, (cui duo philosophorum lumina Diuinus Plato, & summus Aristoteles plurimum semper tribuerunt) quod attinet: Eam in hac nobilissima disciplina talem inuenimus, quæ iure optimo cum alijs omnibus possit artibus decertare. Vnde enim, nisi ab origine peruetusta de primis Astronomiæ iuuentoribus opinionum ac sententiarum discrepantia illa? unde illa varietas? Ad Assyrios quippe eam à nonnullis referri legimus, ad Aegyptios ab alijs, ab aliquibus ad Babylonios. Non desunt etiam qui Athlantem huius disciplinæ primum iuuentorem esse dicant. Vnde nempe fabula occasionem inuenerit, vt is cælum portare fingeretur. Sunt etiam qui Mercurium Trismegistum, sunt qui Thaletem Milesiũ, & qui alios inuentæ nobilissimæ artis principes faciunt. Sed dubiũ nõ est, veram artis huius originem illis omnibus fuisse ignotam, quod longius ea è prima mundi ætate videatur arcessenda. Primæuos enim illos homines sanctissimos, qui sub initio Mundi ante diluuium extiterunt, huius doctrinæ non mediocrem, sed excellentem planè habuisse cognitio-

nem,

nem, argumento sunt, tum alia permulta, tum inprimis, quod eorundem longæuitas numero annorum in literas relata, apud Mosem omnium Hebræorum scriptorum & vatum antiquissimum extet. Neq; parum ad huius rei fidem facit, quod in diluuij historia expressa mentio facta mensium, qui spacia & mensura temporum sunt. Refert etiam Iosephus author grauissimus fideque dignissimus, iam ante Mundi diluuium artem illam fuisse, per primos quidem Patriarchas Adamum, Sethum, Noam, Abrahamum, Iacobum, Iosephum, diuino longissimæ sanctissimæque vitæ beneficio repertam; excultam & ad posteros denique propagatam. Vnde etiam illorum opinio non adeo absurda & à veritate aliena iudicari debet, qui asserunt, primis hominibus à DEO OPT. MAXIMO vitam tam multorum seculorum fuisse concessam, non tantum sobolis propagandæ gratia: sed etiam vt cognitioni inserviretur tum aliarum rerum, tum inprimis artis Astronomicæ, quam certè ex longinqua temporum obseruatione ortam & ad posteros propagatam esse satis manifestum est. Et confirmat hanc assertionem nostram non tantum grauissimi authoris Berosi autoritas, sed etiam instrumenti illius notissimi Baculi à Iacobo appellati inuentio, & fabricatio duarum ab Adamo & Setho columnarum, quarum vna ex lateribus, altera ex lapidibus, Iosepho teste, excitata erat vt hoc pacto & contra vim aquæ & ignis integræ illæ, & cum ijs ars nobilissima conseruaretur. Erant quippe in illis obseruationes Astronomicæ insculptæ & annotatæ, eo fine, vt etiam posteris seculis exhiberēt nobilissimam planeque necessariam ad hanc vitam mortalem astro-

Patriarchæ & primi homines Astronomi.

O R A T I O P R I M A

rum scientiam, sine qua res humanæ quasi densissimis obrutæ tenebris omnino luce sua carituræ videbantur. Ab his igitur hominib. sanctissimis & religiosissimis ad posteritatem demum propagata hæc ars est. Refert enim Berosus, author vetustissimus & ipso etiam Iosepho antiquior, (cui ob euentum eorum quæ prædixerat, Attica ciuitas statuam in Gymnasio lingua deaurata posuisse legitur) Abrahamum Patriarcham non tantum in numerandi doctrina, sed & rebus Astronomicis Aegyptios primum instituisse; A quibus deinde ad alios temporum vicissitudine gentiumque ac hominum migratione prolatam artem esse, perquam est verisimile. Fuit autem id studiorum genus peculiariter apud veteres sacerdotibus propter otium concessum, sicut author est Aristoteles, & ex 27. γενέσεως capite hoc idem colligitur. Hinc factum eo tempore, vt nulli nisi Astronomi sacerdotes & pontifices essent. Hinc regio sumptu ædificatæ sunt armillæ, constructa magnis impensis omnis generis ad varias obseruationes idonea instrumenta; etiam ædificia excitata, sicuti testatur Belum illud Babyloniorum propter insignem altitudinem ad obseruationes Astronomicas accommodatissimum, & olim celeberrimum.

Astronomia Re-
gium stu-
dium.

Dignitatem porro ac præstantiam Astronomiæ plurimum id auget, quod non solum illa à primis istis hominibus sanctissimis & DEO maxime acceptis, propè in ipso mundi primordio inuenta, diligenter & accurate ex-culta, aucta & ad posteros demum fideliter propagata est: Sed quod etiam felicibus illis heroum temporibus summi reges maximi que Principes hoc studium ac-

curata

curata diligentia ac industria tractarunt, excoluerunt, nobilitarunt. Nota enim est vobis auditores optimi, vt opinor, omnibus Cai Iulij Cæsaris, à quo Annus Iulianus nomen habet, erga hanc nobiliss. disciplinam singularis affectio, & in ea excellens peritia, quæ vel ex sermone intelligi potest, quem cum Aegyptijs sacerdotibus habuit Lucano referente.

Iulius
Cæsar.

Media interpretalia semper

Stellarum cæliq; plagis superisq; vacauit:

Nota est summi herois illius in Astronomica scientia studium etiam ex temporum & annorum emendatione, quam nobis exhibuit olim per Sofigenem & Philosophos Alexandrinos, qua in hunc vsq; diem grata nominis ipsius prædicatione vtimur: Quamuis enim illa planè absoluta non sit, & ex tanto temporum interuallo opus habeat emendatione aliqua, vt in ore est omnium Mathematicorum, non illorum tantum, qui ad Gregorij XIII. Pontificis Romani mandatum nescio quam anni correctionem restitutionemq; orbi obtrudere conati sunt; talis tamen est, vt hætenus nulla sit visa melior, nullaque commodior, vt satis superque me etiam tacente, inter alia, Clarissimi Iosephi Scaligeri Anni Gregoriani castigatio doctissima loquitur. Vtinam vero per inuidiam & fata Regiomontano nostro licuisset in ijs sarcinendis defectibus suum periclitari ingenium, aut in hoc fulciendo cælo etiam huius seculi Athlantes nostri suas vires experirentur. Esset fortè, quod veram ac perfectam aliquam huic rei medicinam à tenebrionum nescio quo grege, hætenus frustra attentatam expectaremus. Sed hæc mitto. In historiarum porro

Alfonfus
Rex.

monumentis quem vel mediocriter versatū latet? Astro-
nomiam penè extinctam denuo fuisse excitatam, & ex
orco veluti in vitam reductam ab Alfonso X. Roma-
norum Imperatore laudatissimo rege Legionis & Casti-
liæ, opera quidem artificum, quos magnis ad eam rem
sumptibus conduxit, fouit, & aluit. Nam in Tabulas
Mathematicas Toleti computatas quadraginta aureo-
rum millia erogasse dicitur; multoque plura ita fecisse
cælestium rerum cognitionem, quam ipsam Romani Im-
perij coronam. Qua quidem re id consecutus est, ut
apud gratam posteritatem sempiternam perpetuamque
nominis sui gloriam & memoriam etiam post fata reli-
quam habeat. Sed innumeri, præter hos; etiam a-

Adrianus.

lij fuerunt, non minus Astronomiæ studio quam
opibus ac potentia per orbem clarissimi: Adrianus
quidem Imperator singulis annis & diebus sibi ipsi,
vsque ad mensem quo decessit, Astrologicas prædictio-

Hippoly-
tus.

nes præscripsisse traditur. Hippolytus Episcopus &
Martyr in computi doctrina circulum instituisse primo

Methon.

paschalem; Methon aureum numerum iuuenisse, nec
non Atheniensibus descripsisse annum, ore omnium me-
moratur. Ita annum Quintum Hydaspem, ab Hyda-

Hydaspes.

spe Medorum rege antiquissimo nomen accepisse
testantur historiæ. Agathocle Syracusanum regem mi-
litibus suis ex solidis Astronomiæ principijs causam
defectus solis (non sine admiratione audientium) expli-
casse, totumque exercitum ingenti metu liberasse, au-
thor est Plinius. Carolum etiam Magnum Ephemerides
conscripsisse, anni que mensibus, atque ventis no-
mina imposuisse; Leonem autem Quintum pijsimum

Agathocles.

Carolus
Magnus.

Leo V.

ob

ob

ob Astronomiæ studium philosophum dictum esse legimus. Non dicam in præsentia de Ptolomæo Philadelpho II. post Alexandrum Magnum in Aegypto rege: Octauio Augusto, Tiberio eiusdem nominis primo: Claudio Imperatore: Vespasiano, eiusque filio, & in Imperio administrando successore; Maximiliano Imperatore: Machomete secundo Turcico Imperatore, Leopoldo Episcopo & Austriæ duce: Roberto Siciliae rege; V Vilhelmo Landgrafio Hafsia, & Augusto etiam Electore Saxoniae sanctiss. & felicissimæ memoriæ: Qui omnes partim excelluerunt in hoc studiorum genere, partim eius fautores fuere insignes; de quibus ipsis, & quibusdam alijs copiosè Peucerus, & post hunc Ranzonius prolixis contextis catalogis agunt. Id saltem Auditores nostros moneo, vt ad Homerū cōuersi paulo altius animis perpendant, quid nam significare is voluerit, cum in clypeo Achillis sidera & ipsius cœli verticem depingeret, motumque eorum tam accurate describeret; nihil certè aliud ea re indicatum esse inuenient, quam harum iucundissimarum & vtilissimarum rerum cognitionem summis heroibus & principibus maxime esse dignam. Apud Vergilium etiam Iopas in conuiuio regio Errantemque canit lunam, Solisque labores. An non ita turpe omnino est, in conuiujs & castris olim in admiratione fuisse nobilissimam Astrorum disciplinam: In scholis vero, iam spretam eam planeque neglectam iacere, Scholis inquam, quibus philosophiæ, bonarumque artium, quarum adminiculis hæc vita carere nullo modo potest, doctrinam integram huiusque conseruationem & propagationem officij ratio omnino

Similes
alij plu-
res.

Clypeus
Achillis
apud Ho-
merum.

concre-

O R A T I O P R I M A

concredit ac commendat. Sed hac ætate hæc deplora-
 re quis, emendare fortè nemo potest. O felicia verò
 illa tempora, quibus is Astrorum scientiæ honos habi-
 tus, vt summi heroes non modo eam sibi expetendam
 esse, sed vna cum ea etiam famæ ac nominis immortali-
 tatem se consequi posse censuerunt. Id nempe reliquos
 inter homines ij perfecerunt, vt etiam in hunc vsque di-
 em vna cum stellis ipsorum nomina, posteritati tra-
 dita, supersint, deinceps etiam quam diu diuina Mathe-
 sis erit in multam ætatem superfutura. Nam Orphei
 chelin quis ignorat? aliam ob quam causam inter sidera
 positam non esse à deorum filijs Poëtis arbitramur,
 quàm quod de sideribus arduam habuerit contempla-
 tionem. Athlas etiam cui fortè incognitus? cui Her-
 cules, illius discipulus? Qui quidem in hac tantum di-
 citur profecisse disciplina, vt ob doctrinam rerum cœ-
 lestium, qua præditus erat, cœlum ab Athlante susce-
 ptum humeris suis sustinere diceretur. Sed explicatâ
 vtcunque antiquitate disciplinæ Astronomicæ ad alte-
 ram nunc deuenio: Vnde nobilitas eius eminentiaque
 multis modis auctior omnium consensu existit.

Orpheus.

Athlas.
Hercules.

Nobilitas
& præstan-
tia subie-
cti.

Non minor enim dignitas ac splendor illi accedere
 videtur ex subiecta materia; in cuius consideratione o-
 mnem suam industriam viresq; suas ponit ipsa, quam ab
 ijs, qui hanc artem aut exercuerunt olim, aut viua voce,
 vel scriptis posteris tradiderunt. Si namq; subiecti con-
 sidero nobilitatem, sanè haud video, quænam alia di-
 sciplina humana cum Astrorum scientia conferri, ne-
 dum anteponi illi possit. Notum enim est, eam ipsam
 versari, atque occupatam esse circa cœlum, tanquam

subiectum

subiectum proprium, & circa diuina illa corpora, quæ eo quod maximè consideratione sint digna, sidera dicta sunt. Quo sane subiecto nihil præstantius, nihil nobilius, nihil in tota rerum vniuersitate homine saltem excepto diuinius esse omnium sana mente iudicantium consensu constat. Est enim cœlum, cunctorum philosophorum suffragio, corpus simplicissimum, perpetuum, ab omni corruptione & mutatione alienum, varijs, innumeris, splendidissimisque luminibus exornatum, figuram habens omnium perfectissimam, maximam & capacissimam nempe rotundam, cuius etiam motus perfectissimus nulloque termino finitus; Vbi præterea sedes est immortalitatis, & domicilium quod Dijs superis secundum Aristotelem tam à Græcis quam Barbaris, qui modo Deos esse putant, assensu perpetuo est attributum.

De *ἀνεξέρει* quid dicā, huius disciplinæ qua artes alias longo post se interuallo relinquit? Est sanè vna ea ex numero earum disciplinarū quæ Aristoteli, eiusq; sectatorib. dicuntur subalternæ, quibusdam vero mixtæ & cōpositæ, propterea quod circa subiectum eius etiā philosophus naturalis seu physiologus versetur. At sua tamen eam ob causam non destituitur certitudine: Nititur enim firmissimis demonstrationibus Mathematicis nimirum, quæ non verisimiles aliquas rationes admittunt, sed eiusmodi, quibus contradici nullo modo potest; Et quas non inmeritò Magnus ille Auerroes in primo certitudinis gradu ponendas censet, cum ab anima ipsa veritas earum pendeat, vt id prolixè demonstrat in suis longè doctissimis Commentarijs Geometricis doctissimus Proclus. Hinc cum illi tanquam reginæ & dominæ ancil-

Certitudo Astron
discipl.

C

lentur

O R A T I O P R I M A

Arith. &
Geomet.
αλὰ τῆς α-
ριθμητικῆς.

Iucundi-
tas.

lentur duæ primariae disciplinae Mathematicae, nume-
randi nimirum scientia, & dimetiendi disciplina factum
est, ut hæ ipsæ, Arithmetica inquam & Geometria, ipsius
Astronomiæ alæ, quibus in cœlum quasi subuehitur ipsa
à Diuino Platone sint dictæ: Et sanè meritò, si vsum v-
triusque doctrinæ in Astrorum scientia spectemus. A-
rithmetica siquidem ipsi suppeditat numeros, quorum
adminiculo astrorum motus diurnos & annuos, o-
mnemque periodorum varietatem exprimit definitque:
Geometria vero γεωμετρικὰς ἀποδείξεις, hoc est, lineares
demonstrationes hypothesebus accommodat, earum-
que ope ostendit & demonstrat, has cum apparentijs i-
p̄sis conuenire. Vnde etiam res illa admiranda, quod ad
annos quoscunque tum præteritos, tum futuros, vniuer-
si cœli motus indagari, Solisque ac Lunæ & aliorum sy-
derum conuentus, oppositiones & defectus indicari
possunt, & ostendi præterea quicquid quæque secula a-
spexerint in cœlo, vel aspectura sint deinceps. Quæ fa-
nè cognitio super humanitatem est, & planè diuinitatis
cuiusdam particeps, si mentis nostræ caligo & per lapsum
attonita omnium animi virium ἀδυναμία spectetur. A
certitudine porro huius artis - si ad iucunditatem deue-
niendum est; Quanta proh Deum, nostræ commenda-
tioni ex hac ipsa fiet accessio? Quid enim iucundius,
quid amænius vnquam nobis contingere posse existi-
mandum est, quam metam ac finem assequi hunc, cuius
gratia in hac versamur vniuersitate? Nonne omnium
concors est sententia; Hominem præ cæteris animanti-
bus corpore erecto à summo mundi opifice esse factum,
oculosque ipsi datos, propterea ut nobilissimam cœli

machinam

machinam aspiceret, atque contemplaretur. Cœlum
 autem aspicere, non est in altum caput extollere, quod
 brutis etiam quibusdam sagax & prouida natura non
 denegauit, & superiorem illam mundi machinam, & di-
 uina illa corpora (vt bos ianuam solet iuxta prouerbum
 nostrum aspectare) sed mente naturam rerum inprimis
 illam cœlestem considerare, & ex ea summi ipsius o-
 pificis sapientiam, virtutem, bonitatem & prouidenti-
 am agnoscere, vt rectè, verè ac religiosè Galenus noster
 in præclaro illo & verè aureo hymno Dei laudibus dica-
 to, de vsu parti um corporis humani scripum reliquit. Si
 enim ex subtilitate lineæ in tabula ductæ, Apellis artificis
 manū potuit agnoscere Prothagoras ille sapiens, quantò
 magis & quidem euidentius ex pulcherrimo illo cœli o-
 pificio architecti Dei sapientia cognoscetur. Certè
 Ethnicos etiam homines, quibus de voluntate & gratia
 Dei nihil aliàs cognitum & reuelatum fuit, hoc modo
 ad aliquam Dei cognitionem peruenire potuisse ac de-
 buisse sacræ testantur literæ. Scribit enim Diuus Pau-
 lus electum illud Dei organum Doctõrque Gentium,
 (vt partim ipsius Christi partim Apostolorum verbis v-
 tar) Conditorum Mundi Deum, eiusque sempiternam
potentiam ac sapientiam ineffabilem vel è rebus solum
creatis cognosci ab ijs potuisse. Hinc etiam Regius ille
 Dauid Propheta magno feruore hæc verba pronunciat:
Enarrant Cœli gloriam Dei, & opera manuum eius an-
nūciat firmamentum. Ergo impium planè est, & Epicuro
 dignum asserere, in astris, cœloque ipso, qui fit legiti-
 mo ordine, mirandaq; orbium dispositione; Vnde tum
 apud Græcos, tum Latinos mundum nomen accepisse

Q R A T I O P R I M A

scimus; non ab ipso Deo ita fuisse in prima mundi creatione ordinatum, sed fortuito tantum ac vago orbium circuitu fieri. Diuinæ nimirum virtutis ac prouidentiae testis est, tot seculis iam perpetuata conuersio, temporisque diuturnitas illa imensa, qua nihil omnino detrimenti, nihil vicissitudinis in illa Mundi parte est deprehensum. Saluam enim atq; integram nobis eam seruauit, ac posteritati seruabit deinceps conditor æternus ille, qui non vt faber à nauì extructa discedit, relinquens eam nautis gubernandam; sed præsens omnipotente virtute sua perpetuam largitur ei stabilitatem. Quare bestia non homo censendus is est, qui non accuratè cogitat, à quàm sapiente opifice ista omnia sint orta primum, gubernentur etiamnum & conseruentur; Et truncus ille, non intelligèti animatus spiritu, quicumq; non aliquando sublatis oculis illam Mundi structuram cum summa admiratione, & debita erga Deum architectum gratitudine debitaq; prædicatione intuetur. Sanè vt pictor celebris, indignè admodum ferret, si videret insignes tabulas & præcipua artis opera ad hominum admirationem inprimis à se comparata negligi ac contemptui haberi: Ita profecto DEVS ipse succenset quoque hominum detestandæ socordiae & ignauiae, quos tantarum rerum pulchritudine nihil aut parum certe delectari videt. At huius artis beneficio Dionysium Areopagitam audiuitis in explicatione Sphæricæ doctrinæ Eclipsin Solis tempore passionis Christi rectè pronunciaffe miraculosam. Huius adminiculo cognouistis etiam Magos ex Oriente ad Christum adorandum ductos esse; Stella viam monstrante nouâ & prioribus

ribus seculis inuisa. Facebant igitur obrestitutiones iniquissimæ illorum, qui non tantum iucunditatem sed etiam vtilitatem omnem præclarissimæ adimunt scientiæ; re ipsa nempe demonstrantes, non modò Epicuri de grege porcos turpissimos se esse, sed etiam nefarios *θεομάχους* in naturam iniquos, in Deum ipsum impios. Voluit enim Deus horum mirabilium corporum motum, huiusq; noticiã nobis esse ducem ad sui agnitionem; sine qua salus & beatitas homini nusquam vlla esse potest. Quid multa de hac re? Quid sacra? Quid alia opus est producere in nostram sententiam testimonia? perpendite quæso auditores altius animis vestris, qualis nam futura esset vita nostra, si non haberemus descriptam temporum rationem, si non esset in rebus gerendis annorum numerus aliquis. Certè plusquam barbaries ac beluina vita fuerit illa, nullam nosse antiquitatis feriem, nullum temporis ordinem. In tanta enim inscitia, neque religio vlla, neque ciuilis status saluus esse posset. Sed ad vtilitatem accuratius explicandam deuenio tandem; Quæ quidem tanta est in omni disciplinarum & Artium genere, vt sine hac vita ipsa hominum omnino nõ constare posse videatur. Quis enim adeò rudis, cui nõ probè cognitum sit poëtarum sapientissimorum hominum monumenta, quæ omnibus eruditis sedulo & diligenter indies euoluenda sunt, vbique referta esse exemplis Astronomicis, in quorum ignoratione vix ac ne vix quidem intelligi, aut explicari rerum momenta possunt. Testis locupletissimus est Aratus in Phænomenis, Hesiodus in *ἔργοις*, Homerus passim, Vergilius etiam in Georgicis, vt interim taceam Manilij & Palin-

Vtilitas.

Astrono.
vtilis ad
poëtica.

O R A T I O P R I M A

Ad artem
Nauticā.

Ad rei ru-
sticæ scri-
ptores.

Ad Histo-
riam.

genij opera, & aliorum poëtarum scripta doctissima, in quibus temporum vices tempestatumque ortibus, & occasibus stellarum imprimis Arcturi, Pleiadum frequentissimè designant. Non minor quoque utilitas & comoditas conspicitur in arte Nautica, generi humano utilissima & necessaria, quæ fines suos absque præsidio imprimis poli Arctici tueri nullo modo potest. Prodest etiam hæc disciplina rei rusticæ scriptoribus, qui sæpè tempora faciendis operis idonea ortibus & occasibus siderum definire solent, vt sciunt illi, qui non oscitanter Varro- nem, Columellam, Plinium, & alios qui hoc argumen- tum tractarunt, euoluere. In historiarum lectione, cui omnes singulari studio incumbere decet, qui modo gubernationi politicæ & negotijs forensibus aliquando cum honore & dignitate præesse volunt; quid quæso ef- ficias sine temporum annorumque distinctione diligen- ti & accurata? Fidem nobis faciunt Thucydides, Poly- bius & Liuius inter historicos scriptores haud postremi, quantum sit in eo situm *χρονολογίας* imprimis vt quæ dili- gentissimè ratio habeatur. Quid Mantuanum, poëtam elegantissimum aliud indicare voluisse putandum est, quam vt summa & eximia illa Astronomiæ utilitas com- mēdatissima Imperatoribus, Architectis, Agricolis esset, cum inquit:

*Hinc tempestates dubio prædiscere cælo
Possumus, hinc messisq; diem tempusq; serendi
Et quando infidum remis impellere marmor
Conueniat, quando armatas deducere classes,
Aut tempestatum in siluis euertere pinum.*

Plurimum certè momenti eam habere ad prædictio-

nes

nes Astrologicas, quæ in communi hominum vita, tum ad tuendam valetudinem, regendosq; mores, tum ad actiones Oeconomicas ritè & tempestiuè instituendas præcipuam vtilitatem habent, notius est quàm vt demonstrari id possit vel debeat. Porro eandem fontem atque radicem esse Cosmographiæ, vtpote ex hac ceu matre prognatæ, omnes docti constanter asserunt. Eius siquidem adminiculo per circulos coelestes, aliaq; inde petita subsidia cum vniuersum globum terrenum, tum singulas eius partes describi videmus. Vnde locorum & ciuitatum situs ac interualla in primis patent. Nonne eam præterea plurimùm videmus inseruire & Physiologiæ & primæ philosophiæ seu Metaphysicæ. In hac enim Aristoteles priscorum Astrologorum autoritate ex orbium coelestium motu & numero, virtutem ac numerum intelligentiarum infert ac colligit. In illa verò quamplurima ab Astronimis & inuenta & demonstrata assumit, vt me tacente loquuntur libri priores de coelo, & vltimus Physicorum Aristotelis. Sed his leuioribus omissis, perpendamus quantum vtilitatis commoditatisque habeat ad nobilissimam medendi artem, generi humano vtilissimam, qua nulla gens, nulla natio in hac mortali vita carere potest. Perpendamus, inquam, testimonia non dilutæ autoritatis, non Astronomorum quoque, quorum iudicium suspectum vobis posset in præsentia videri & commodè in nos torqueri, tritum illud dictum: Laudat venales, qui vult extrudere merces: sed ipsorum Medicorum in primis Hippocratis & Galeni, à quorum testimonio prouocare, nullo pacto fas est. Sanè quantus sit Astronomiæ vsus & necessitas ad medendi artem

Ad Astrologicas prædictiones.

Ad Cosmographiam.

Ad Metaphysicam.

Ad Physicam.

Ad Medicinam.

O R A T I O P R I M A

tem dextre tum intelligendam, tum exercendam Medico, Medico inquam eleganti, qui duobus cruribus experientia & ratione in exercendo opere medico incedit, satis visus est indicare Diuinus Hippocrates Medicinæ parens in libello illo verè aureo, cui de Aere, Aquis & Locis, titulum indidit. Nam quid quæso aliud per totum istius libri contextum agere videtur venerandus Senex, quam vt præcipuum Astronomiæ in arte Medica vsum & necessitatem Medico cõmmendet? Siquidem omnem anni conditionem, qualis nam ea futura sit salubris ne, an morbosa, ex solo astrorum obseruatione à Medico prædici posse, plenissimè & doctissimè conceptis verbis, eo in loco docet. Et si istum librum Hippocratis paulò altius quis euoluat, nihil aliud certè reperiet in eo, quam maxima diligentia siderum cursus, & magnas temporum mutationes, vt hominibus aduersissimas obseruandas à Medico notandasq; esse; cum neq; medicamentũ deiectorium, neq; vstionem, neq; sectionem, nec aliud quicquam quod magnopere corpus lædere possit, absq; siderum & temporũ obseruatione admittat. Nam ambo solstitia periculosissima pronunciat, maximè verò æstiuũ, sicuti & vtrunq; æquinoctiũ inprimis autumnale. Astrorum exortum inprimis Canis, Arcturi & Pleiadum occasum maximè obseruandum esse præcipit, eo quod his diebus morbi maximè iudicentur, alij perimant, alij vero desinant, aut in aliam morbi speciem aliumque statum transeant. Possem longe vberius ex eodem Hippocrate planum facere, quod Astrorum obseruatio, à quibus omnis temporum mutatio dependet, & quæ suo influxu varia morborum genera inuehunt ad medendi peritiam

tiam

tiam plurimum conferat. Sed ne in recensendis ad verbum sententijs nimius fuisse videri possim, hæc in præsentia sufficiant. Neque enim instituti nostri ratio permittit, vt singula vberius explicemus. Ad Galenum igitur optimum Diuini nostri Hippocratis interpretem progrediamur, & quid ipse in Medendi arte Astrorum obseruationibus tribuat, paucis videamus. Sed & huius sententia ad morborum popularium seu Epidemiorum cognitionem nihil quicquam Medico congruentius aut magis necessarium esse, quam astrorum contemplationem, satis est manifestum cum ex 3. Aphorismorum libro, tum 1. Epidemiorum. Ijs enim in locis diferte tradit, Medico per necessarium esse, & quidē vnaquaque in regione, vbi artem Medicam exercere instituit, vt cuiusque sideris emersum & occasum accurate perspiciat, rationem mox illam subiiciens, quod ab his anni tempora quasi quibusdam constitutis limitibus circumscribantur. A siderum enim ortu & occasu maxime Vergiliarum, præterea binis Aequinoctiorum metis quadripertitas anni mutationes oriri, vulgo etiam & brutis compertum est. In tertio de Diebus decretorijs libro, tantum profecto astris, in primis Lunæ attribuere videtur Galenus, vt illi vni, eas alterationes quæ agris obueniunt, per iudicatorios dies ascribat, omnemque adeo Lunæ potestatem in terrenis regendis atq; immutandis occupatam esse dicat. Per multa hîc sciens prudensque omitto, quæ ex astrorum legibus in rem suam Galenus traducit, cum præsertim nos vel quotidianus rerum vsus cumulatissimè de ijs erudiat. Quæ tamen ipsa sanè locupletissima D. Hippocratis & Magni

O R A T I O P R I M A

Galeni testimonia , non ita accipi volo , quasi mea sententia Medico prorsus non liceat , ne transuersum , vt dici solet , vnguem ab Astorum decretis discedere , vt quidem aliqui Medicorum nimis curiosè , ne dicam superstiosè , Lunæ reliquorumq; astorum cursum & configurationes obseruant , vt ne quidem ægris , aut pharmacum propinandum purgans vllum , aut venam secandam , aut cucurbitulas applicandas esse censeant , nisi prius ipsis accurate inspectæ sint Ephemerides , & oraculi instar consultæ Astrologicæ prædictiones mendaciorum & vanitatum plenissimæ. Quis enim Medicorum tam infanus & suæ artis inscius , vt si in graui & præcipiti morbo , aut grauissimo symptomate , quod præsens vitæ periculû minetur , vel secanda vena sit ægro , vel deiectorium medicamentum propinandum , Luna verò vel in Gemino- rum signo tum constituta sit , vel etiam alibi deliquium patiatur , vel Saturno aut Marti opponatur , vel cum Soli etiam coniungatur : Quibus in aspectibus sanguinem mitti Astronomi vetant : Quis est , inquam , qui ab ea indicatione , quam morbus suggerit , desistat , & non confestim potius sanguinem mittat , ægrumque ab imminente periculo quouis tempore , sine vlla mora & cunctatione , vel in ipsa nocte media , nulla etiam horæ habita ratione liberet , quam obseruatis ijs astorum aspectibus , ægrum interim summa cum artis ignominia mori sinat ? Verum enimvero vt eiusmodi affectionib. periculosissimis , quæ nullam ferunt Medici moram & cunctationem , nullam prorsus ex astorum obseruatione legem præscriptam esse volumus : Ita etiam in diurnis morbis nimis credulum Medicum haudquaquam probamus

probamus, qui quibusuis Astrologorum somnijs statim
 ascentiatur, neq; iudicium maturum delectumque in ijs
 probè pensitandis adhibeat. Raro enim admodum ve-
 rum scopum attingere plerosque videmus, cum magna
 ex parte in contrarium ea eueniant, quæ ipsi nullo ar-
 tis fundamento inconsiderate vt plurimum pronuncia-
 uere. Satis hoc superq; me etiam tacente ferè omnium
 temporum prædictiones Astrologicæ loquuntur, quæ
 dum hoc vel illud sæpe cum magna simpliciorum homi-
 num consternatione futurum esse confirmarunt, postea
 diuersis delusæ euentis iure merito ludibrio habitæ, &
 non sine insigni Artificum ignominia derisæ sunt. Ad
 hoc cauendum incommodum profuerit Medico vtilissi-
 mæ artis non planè ignarum esse ne per hanc inscitiam a-
 liorum responsa, tanquam ex tripode dicta arripere,
 omnemq; spem ac fiduciam cum magno mortalium de-
 trimento ac damnò in alios collocare cogatur. Hanc
 tantam vtilitatem vsumque Artis Astronomicæ summè
 necessariæ ad medendi scientiam doctissimi quiq; Me-
 dicorum huius seculi perspiciunt. Ideoq; illam exemplo
 D. Hipp. & Magni illius Galeni cum ipsa Medicina sumò
 studio coniungunt, ac simul non sine publica vtilitate,
 artis vero dignitate eximia suo in medicando munere
 perfunguntur, Mathematici simul ac Medici, vtraque
 facultate nobilissima præ cæteris eximij celebratissimi-
 que. Sed de prima instituti nostri parte pauca hæc di-
 xisse sufficiat: Transeundum nunc nobis est ad partem
 alteram, qua breuiter ac perspicue demonstraturi sumus,
 ex quibus potissimum Authoribus & quo ordine hæc
 nobilissima disciplina à primis illis hominibus sanctif-

ORATIO PRIMA DE ASTRONOMIA.

simis primo inuenta, summis principibus ac regibus ex-
cultata ac postea propagata, & vsu ac necessitate, tum
quo ad alias disciplinas, tum maxime quo ad artem
Medicam commendatissima ab adolescentibus co-
gnoscenda addiscendaque sit: Vt cum fructu dignitate-
que in hoc studiorum genere versari aliquando possint.
Sed cum exiguum temporis spacium ad illud ipsum per-
ficiendum nobis supersit, id omne, ne in praesenti
humanitate vestra abuti velle videamur,
in crastinum iuuante DEO,
diem differemus.

D I X I.

Errata nonnulla hoc modo restituantur:

- A 3. f. 2. l. 11. lege fulcitur.
- A 4. f. 1. l. 15. l. aggrederemur, & l. f. pro ea, l. &
- B. 1. f. 1. l. 12. l. singulas, & l. 19. post aperte, inserantur haec verba,
rem proposituri, & in altera linea omittantur.
- B. 4. f. 1. l. 24. pro ita, l. autem
- B. 4. f. 2. l. 11. l. quam aliam ob causam
- C 1. f. 2. l. 21, l. pro attonita, l. attracta
- C 2. f. 1. l. 28. post asserere inseratur motum
- C 3. f. 2. l. 19. quæ, expungatur.

Gb 777. I

800

ULB Halle 3
 001 618 563



Sb.

EX LIBRIS
 ILLVSTRISSIMI VIRI,
 DN. DAN. LVDOV. PHIL.
 LIB. BAR. de DANCKELMANN,
 S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
 STATVS INTIMI, cetera,
 BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
 TESTAMENTO RELICTIS.

VDTT

104

In splendoribus singularis imo celestis hominis filia



romis sub tanta vniuersitate
solentur tenuerunt de regione
guina. **H**odie cadet pulcherrima
filia populi sui & domini patris oblit
fama sancti spiritus micata sed igne
materiali consumata. **H**ierem cor di
ad fidem inclinauerat sed iam int
pugnando deitros amplexus vi
ditur per species eius concupierat
in illa iunamur & filia audierat
quia celestis pater illa ve reuereret
inocauerat **S**ancto igitur narcho
preedicante statim ad mentiam pa
tris rediit. **E**t cum illum cui male
adheret deseruit. **E**t que centum ca
dos olei dno suo redere debuit.
Accpta cautione sacramentorum
scripsit sibi quinquaginta & promeruit
esse filia **S**ic multi in retroactis era
tib' redire a suis errantib'. **S**ic ma
na magdalena sic mulier illa chana
neque per postquam negauerat
rediit. **E**t paulus xpi voce pstrat
reliquit. **M**artice a theloneo ipsius
pris rediit pcomio. **E**t sachelu lico

Cus qui hunc di
nati verbum transt
cruas ad eum missa
et voce coniecta:
mus: ut diuinus pati
s: in eius meramur
tant formam: qui pec
romam fieri precepit
is dominus nollet
Hic marti' offi
expeccauerunt. **L**olla.
illa tuam questimus
supplente ppicus
que te impudice de
tarius martiri tua
e locumque eius
castellum.

Donati marti'
una condicione





XV

DE
ASTRONOMIA;
DISCIPLINA INTER MATH-
THEMATICAS PRINCIPE;
Oratio prima:
In qua
Præstantia, iucunditas, vsusque multiplex
Artis nobilissimæ demonstratur;
Post finitam interpretationem doctrinæ de Sphæra
conscriptæ à
IOANNE DE SACROBOSCO;
Sub initium
Explicationis Theoricæ doctrinæ
GEORGII PURBACHII
Ad Auditores Mathematicum publ. habita
à
CHRISTOPHORO MEVRERO D.
MATHEMATVM PROFESSORE,
& Reip. Lipsiensis Physico.
Lipsiæ,
IMPRIMEBAT MICHAEL
LANTZENBERGER.
Anno 1596.

69

26

26.

